



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XXIV. Idem Comitissæ a Blesensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



d *Bailivis.* ] Bailivus apud Gallos idem significat ac officialis, & plerumque accipitur pro Pratore, seu iudice; quare & officium ipsum bailiva solet appellari. Probant, & illustrent Lindembrog in *Glossario legum antiq. verbo Bailivus*, Ioannes Vossius de *vitiis serm. lib. 2. c. 3.* & notavi in *cap. 8. de confirm. utili.*

e *Privilegio.* ] Carnotense enim Capitulum eximii est decoratum privilegiis à Sede Apostolica, inter quæ illud refertur, quod nemini licet anathemate damnatum absolvere, nisi prius damni æstimatione pensata, ac damno satisfacto ipsi Capitulo, ut refert Renatus Chopin. *lib. 1. sac. pol. tit. 2. n. 4.* Cujus privilegii mentio fit in præsentis textu.

## CAPVT XXIV.

Idem *Comitissa* a *Blesensi.*

CUM olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam Capitulum contra te fuerat allegatum, quod dicebat in Ecclesia suæ privilegiis contineri, ut videlicet nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus, absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere. *Et infra:* Quia verò dum ansam solvimus, nondum dicimur ligavisse, propter hoc, quod eisdem Canonicis, velut asseris, proponentibus, illam esse offensam manifestam, non quæ iudici, nec quæ alii, sed quæ sibi tantummodo manifesta videtur, major ex illa dictione, videlicet Manifesta, scrupulus quæstionis emerfit. Tuis igitur humilibus precibus inclinati, offensam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem vel probationem legitimam nota fuerit, aut evidentiâ rei, quæ nullâ possit tergiversatione celari.

## NOTÆ.

- I. a *Comitissa Blesensi* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 8. Textus hic spectat ad casum textus præcedentis. b *Tergiversatione.* ] Ut probavi in *cap. evidentiâ, de accusat.* ubi exposui quando quid dicatur manifestum, vel notorium.

## CAPUT XXV.

Idem *Episcopo* & *Cantori* a *Atrebatensi.*

Abbate Sancti b Silvani Altiacen, olim viam universæ carnis ingressio, cum ejusdem loci monachi elegissent quendam de ipsius gremio in Abbatem, & ejusdem confirmationem electionis a bon. mem. Morinen. Episcopo nequissent aliquatenus obtinere, per procuratorem suum confirmationem ipsius à Sede Apostolica petierunt. Cæterum procurator monasterii S. c Bertini proposuit ex adverso, quod cum secundum approbatam consuetudinem, & privilegia Rom. Pont. Abbates Altiacem debeant de monasterio S. Bertini semper assumi, hujusmodi electio erat non immeritò reprobanda, utpote contra consuetudinem diuturnam, & privilegia Sed. Ap. attentata; & Altiacen. monachi debeant de jure compelli, ut de monasterio beati Bertini personam idoneam sibi eligant in Abbatem. *Et infra:* Nos igitur depositionibus testium coram delegatis à nobis iudicibus productorum diligenter inspectis, invenimus sufficienter esse probatum, quod xl. annis, & infra, monachi Altiacen. Abbatem sibi de S. Bertini monasterio elegerunt, ita quod infra præscripti temporis spatium de præfato Cœnobio vii. fuerunt in Altiacenses Abbates assumpti. *Et infra:* Et cum quadam vice Garmum Altiacen. monachum elegissent, ejus electio robur habere non potuit donec apud monasterium S. Bertini professione facta, post aliquantulum temporis, quando scilicet ejusdem loci Abbati, & conventui placuit, in Altiacen. extitit Abbatem assumptus. Ex privilegiis quoque Rom. Pont. monasterio S. Bertini concessis argui poterit evidenter, Altiacen. Abbatem fore de S. Bertini collegio eligendum. Nimirum privilegio fel. rec. Paschalis Pap. præd. n. hujusmodi capitulum apparet insertum: Subrogationem Abbatis penes monasterium S. Silvani apud Altiacen. juxta præteriti temporis morem, in vestra semper concedimus dispositione persistere. Cujus verbis bon. mem. Innocentius Pap. præd. n. prorsus inhæsit. In privilegio quoque d Calixi II. Papæ hujusmodi capitulum invenitur: Porrò juxta Domini præd. n. sanctæ mem. Paschalis Pap. decretum, Abbatis subrogationem penes Altiacen. non aliunde, quàm de vestro monasterio fieri Ap. auctoritate decernimus. Ad hæc autem pars adversa respondit, quod si evidenter per depositiones testium probaretur, quod infra prædicti temporis spatium